Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Martii 1725.

M. ARMANDO-JOSEPHO COLLOT, Doctore Medico, Præside.

An ut in Americâ, sic in hâc regione Apalachines *potus salubris?*

I.

QUAM multiplex sit potulentorum genus, innumeræ plantarum species indicant: Diverso ex his partium delectu variantur. Illa ex radicibus, hæc è foliis parantur; nonnulla ex inciso caudice fluunt. Ista floribus, fructibus alia, alia seminibus, quædam ex integrâ ipsâmet herbâ conficiuntur. Ipse etiam parandi modus potuum varietatem auget: aquam ferventem colore & sapore suo folia & flores facilè imbuunt; coctione solâ, sapidas partes radices emittunt; cedit expressioni fructuum liquor; semina nisi contusa & humore irrorata lac, aut spiritus ardentes fermentatione præbere negant; nec herbæ totius nisi maceratione succum educes. Ratione tamen tam variâ parati potus simplicitatem non amittunt; quid si infusa succis, decocta liquoribus, destillata expressis permisceas? Quid si mixta melle aut saccharo condias, vel conditis aromatum suavitatem addideris? indè quot regionum tot ferè potulentorum species, ita ut suâ quæque gaudeat, sua cuique sufficiat, eâque ab integris jam sæculis aletur, reficiatur ac recreetur. Unicus tamen fuit in hâc sibi eligendâ, unicus in retinendâ finis salubritas.

II.

FUNCTIONES animales perficit mutuus ſolidarum partium cum liquidis conſenſus; in eo poſita eſt cujuſlibet gentis de ſanitate opinio. Hunc diversè pro cœli ſui temperie, pro variâ alimentorum naturâ conſequitur. Eadem in potulentorum uſu ratio, cui opibus indigenis, ſæpius providit natura: Aduſtis ſole populis ſitim acidulorum fructuum ſuccis ſedare dedit; in ſeptentrionalibus plagis, ſpirituoſis ex Lupuli, Hordei, Mellis, Juniperi, Prunorum, Ceraſorum, Vacciniorumque fermentatione extractis uti; temperatis climatibus, Uvarum, Pomorum, Pyrorumque liquorem conceſſit. Ad familiarem potulentorum quæ fermentatio concinnavit uſum, acceſſit potus alius & alter è plantis ſpontè naſcentibus ſolâ infuſione paratus: Adeo increvit ſanitatis deſiderium! Inſpiſſatum vitâ deſide ſanguinem ex calido Theæ ſuæ potu Sina diluit; diſſolutum levi Oryzæ decocto Malabarus incraſſat; viſcerum obſtructionibus à ſpiritu ardenti Arac (*a*) dicto, Indis communi; *Acmella* ſeu Bidente Zeilanico(*b*) Javani occurrunt; Ex *Caffé* languidas vires Arabs reparat; habet ſuum *Cacao* Indus quo facilem chylum augeat; *Paraguay* ſuo alvum molliter ciet Peruvianus: Mexicani Ambroſiâ, Antillani noſtri *Caprariâ*(*c*)ſub Theæ ſpecie acris vitiorum impreſſionem corrigunt: Veronicæ infuſo Germani ſtomachum, Galli ſalviâ cerebrum, Canadenſes noſtri Adianto ſuo pectus roborant. Quidni à vicinis, quidni à remotioribus una eademque regio potus ſuos mutuetur? Quidni ex ipſis omnium ſalubritatem ſigillatìm pro oportunitate eligendam exquirat? Rem præſtitit apertum ubique terrarum & latè commercium, uſuſque reciproci efficaciam probavit experientia.

(*a*) Uraqua Jacobi Bontii de Medicinâ Indorum. Lib. 2. cap. 4.
(*b*) Joannis Philippi Breynii. Diſſert. 1700.
(*c*) Capraria Coraſſavica Cavritta Luſitanorum. Par.Bat. Gratiolæ affinis fruteſcens Americana foliis Agerati, ſeu Veronicæ erectæ majoris Breynii. Prod. ſecundi & Hort. Amſt. Part. prima fol. 79.

III.

QUANTA longiorum itinerum duci auri ſacræ fami non debet Botanicè! Quantum ex familiari cum populis alio ſub ſole poſitis convictu hygiene, non locupletata eſt! Tot varias inter potuum ſpecies ſalubrem unam imprimis ſuppeditat Florida, tellus vaſti fluminis *Miſſiſſipi*, (*d*) nomine aliàs cognita, *Lodoicaea*(*e*) nunc inſignita ob miſſas à Ludovico Magno colonias (*f*); apud *Apalaches* regionis hujuſce gentem paſſim in ſylvis naſcitur noſtræ Amygdali facie arbor, ſemper virens, apud indigenas *Caſſine*, (*g*) *Apalachine* apud Gallos, Alaternoidis (*h*) Ala-

(*d*) Flumen illud detectum fuit à D. de la *Salle* ann. 1678.
(*e*) *La Louiſiane*
(*f*) Coloniæ miſſæ ſunt ann. 1683, & 1699.
(*g*) Caſſina herba è cujus ſucco potionem conficiunt in Floridâ. C. B. Pin. 170.
(*h*) Alaternoides Africana Lauri ſerratæ folio. Commelini, Prælud. Bot. pag. 61.

terni (*a*) & Evonymi(*b*)inter Botanicos recentiores nomina audit. Caudicis cortici ut & ramis cinereus ineſt color ; ramulis fragilibus atro purpuraſcens. Veſtiuntur hi foliis ferè ovatis , oblongis, uncialibus & biuncialibus , carnoſis , ramo pediculo purpuraſcente lineis tribus longo alternatim inſitis , ad oras ſerratis ac leviter dentatis ſupernè atro virentibus , infernè cinereis , ac nervo dilutiore & craſſiore diſtinctis : Iis ſapor ſtatim herbaceus ſubinde acidulus ac amarus , qui deinceps in dulcem ac gratum abit. Exiguo flore gaudet roſaceo, pentapetalo & è flavo virenti : Huic ſuccedit parvus fructus ex tribus capſulis unico ſemine donatis compoſitus. Renati Laudonerii (*c*) Galli ſecundæ expeditionis anno 1564. in Floridam ducis relatu, nobis innotuit hæc arbor, in Horto Regio exculta, frigoris impatiens nec florem, nec fructum edidit, nec arbuſti altitudinem ſuperavit. Barbari foliis in vas fictile candens injectis exſiccatiſque aquam infundunt: Infuſionem quam *Caſſinam* vocant ſorbent ; ſorbitionem iterum atque iterum ſingulis diebus repetunt : Conſentientibuſque de uſu & virtute exploratoribus antiquis & recentioribus, incolumes ſe præſtant ; nec podagrâ, nec calculo ac nephritide attinguntur ; Hiſpani vires potûs experti (*d*) familiarem hunc ſibi reddidêre ; ſimilem efficaciam coloni noſtri comprobant.

(*a*) Alaternus Hyſicanenſis ſeu Africana, lauri ſerratæ odoratæ ſtapelianæ foliis Hort. Beaumont & Plux Phytog. Tab. 126. Caſſine floridanorum arbuſcula baccifera Alaterni fermè facie, foliis alternatim ſitis, tetrapyrene. Plux. Mantiſ.

(*b*) Evonymo affinis Æthiopica ſemper virens fructu globoſo ſcabro, foliis ſalicis rigidis ſerratis, Hort. L. Bat.

(*c*) Vide Joannis de Laët Americæ utriuſque Deſcriptionis. pag. 209.

(*d*) Referente Franc. *Ximenes*.

I V.

APALACHINES præparationem docet, frequens apud nos ſalviæ Veronicæ, Adianti Canadenſis ac Theæ foliorum uſus. Strictior ejus textura fervidiorem lympham & longiorem in infundendo moram poſtulat, infuſi efficaciam diſce, ex foliorum ſiccorum ſapore amaro ac dulci : Ferventibus aqueis partibus penetrantur ; harum ope amaro volatiles particulæ cellulas ſuas deſerunt ; viſcoſæ ac dulces extrahuntur, aqueis partibus miſcentur ; extracti copiam infuſi color indicat : calidius epotum amaro volatilibus particulis ſpiritus animales illicò recreat, cerebrum ſtatim ſubit, dulcore levem amaritiem ſubſequente, lenitur oris halitus, ſtomachus levatur, crudæ indigeſtæque carnium reliquiæ emolliuntur, viſcoſæ inciduntur, aperiuntur abſque turbâ vaſorum lacteorum oſtia, cietur molliter & quandoque alvus, diluitur ſanguis, ſolvitur lympha, intricantur ſalia acria, cedunt meatuum urinariorum obices, omniſque exitioſa calculorum ſaburra leniter excernitur. Quid plura ? laboranti veſicæ occurrit, nephritin arcet, renibus exulceratis medetur, hydropem juvat, languidoſque ac cachecticos reficit, hæc Apalaches ex hoc potu, ſimilia Galli experiuntur.

V.

QUIS rerum novarum osor, tam salubris potûs usum impugnet? Quid objiciat? Barbarorum vescendi morem à nostro alienum? sylvestrium carnium aut fumo exsiccatarum, vel malè coctarum escam stomacho noxiam? Num potius nocentior victus nostri ratio? Annon concoctu difficiliora sunt alimenta sale, pipere, aromatisque calidioribus condita, aut aceto indurata? Facilem ille Gallum dicet qui tanto potulentorum externorum numero quo jam tota scatet Gallia, novum addat; cùm jam in Theæ, Paraguay & Canadensis Adianti infusis parem ferè sentiat effectum; cùm suamet tellus plantas istis virtute congeneres edat; ipsa Gale (a) Apalachini succedanea propinari possit; at quanto & saporis, quanto & odoris discrimine palatum afficiunt! Quàm diversè operantur! sudorem Thea, urinamque simul paulò acriùs, hanc Apalachine alvumque sæpe sæpius ac lenius promovet: Ex Adianti potu faucium quædam siccitas, ab Apalachine oris mador: Ab eâ suavior halitus, ingratior à Gale potu: Sola Paraguay eam æmulatur, utraque quin sit eadem vix dubites? Nisi quæ contusa mittuntur folia, in integrum exhibita diversum esse arboris genus probent. Nevè quis Lodoicæos Cassinem suam voluptatis mage quam salubritatis ergo sorbere opponat! Ita sit; an non gratius cum suavitate potu satiari, cujus quantitate non læditur cerebrum, animus exhilaratur, qui singulis convenit, qui à sopore senes excitat, qui adultis famem sitimque sedando vegetiores eos, ad laboremque alacriores reddit, qui pueris voracibus alvum urinasque ciendo opitulatur, & singulari suâ redundantis seri copiam evacuandi virtute mulieribus prodest? cùm porro quæ alunt in Indiis plantæ, quæ in Oriente purgant, & quæ in Americâ febres pellunt, iisdem nostrâ in regione pollent viribus, quidni & Apalachine?

(a) Gale frutex odoratus septentrionalium. J. B. 1. Part. 2. 225. Rhus Myrtifolia Belgica C. B. Pin 414. & Act. Acad. R. sc. 63. ann. 1706. *Piment Royal.*

Ergo ut in Americâ, sic in hâc regione Apalachines *potus salubris.*

Proponebat Parisiis, BERNARDUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator A. R. S. H. M. DCC. XXV.

Typis J. QUILLAU Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1725.